Quelle: https://manuscripta.at/?ID=37127
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



Et ait illi Surgite eamus ecce qui me tradet prope est Et adhuc eo loquente venit
iudas scariothis unus de duodecim et cum eo turba multa cum gladiis et lignis mis
si a summis sacerdotibus et a scribis et a senioribus Dederat autem traditor eis signum dicens
Quemcumque osculatus fuero ipse est tenete eum et ducite cautes Et cum venisset statim accessit
ad eum ait Ave rabbi et osculatus est eum Illi autem manus iecerunt in eum et tenuerunt
eum Dixit autem iesus ad eos qui venerant cum gladiis quasi ad latronem existis cum gla
diis et lignis quotidie eram apud vos in templo docens et non me
tenuistis sed ut impleantur scripture Tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt
Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo et tenuerunt eum
Et relicta sindone nudus profugit ab eis Et adduxerunt eum ad summum
sacerdotem et convenerunt omnes sacerdotes et seniores et scribe Petrus autem a longe secutus est eum
usque intro in atrium summi sacerdotis et sedebat cum ministris et calefaciebat se ad
ignem Summi vero sacerdotes et omne concilium quaerebant adversus eum testimonium ut eum
morti tradent et non invenebant Multi enim falsum testimonium dicebant adversus eum et
~~quamvis~~ quoniam testimonia non erant Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant
adversus eum dicentes Nos audivimus eum dicentem Ego dissolvam templum
hoc manu factum et per triduum aliud non manu factum edificabo Et non erant
quorum testimonia illorum Et exurgens summus sacerdos in medium interrogavit eum dicens
Nonne respondes quid hi adversum te testantur Iesus autem tacebat et nihil respondit
Rursus summus sacerdos interrogabat eum et dixit ei Tu es xpus filius dei benedicti Iesus
autem dixit illi Ego sum Et videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis dei et
venientem in nubibus celi Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua ait Quid
adhuc egemus testibus audistis blasphemiam quid vobis videtur Illi autem condemnaverunt eum esse reum mortis
Et ceperunt quidam conspuere eum et velare faciem eius et colaphis eum cedere et
dicere ei Prophetiza Et ministri alapis eum cedebant Et cum esset petrus in atrio
deorsum venit una ancillarum summi sacerdotis et cum vidisset petrum calefacientem
se aspiciens illum ait Et tu cum iesu nazareno eras At ille negavit dicens
Nescio nec novi quid dicas Et exivit foras ante atrium et gallus
cantavit Rursus autem cum vidisset eum ancilla cepit dicere circumstantibus Quia
hic ex illis est Et iterum negavit Et post pusillum rursus qui astabant dixerunt